



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ad Iesuitarvm Assertionēs, Ex Epistola Priori Divi Pavli ad
Timotheum, in Schola Dilingana disputatas, quibus totum
Papatum stabilire conati sunt, pia responsio**

**Bidembach, Wilhelm
Osiander, Lucas**

Tvbingæ

VD16 B 5358

Docere mulieri non permitto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36892

ea sint, ea propria sint Dei habitacula, vnde propius
 aurem nobis admoueat, aut secreta nescio quæ vis
 illis inhæreat, quæ sacratiores & acceptiores apud
 Deum preces nostras reddat. Nos verò illa crassa, et
 rudi superstitione Ethnicis, Iudæis, Turcis & Pa-
 pistis relicta, scimus veros adoratores, citra loci dis-
 cretionem, Patrem adorare in spiritu & veritate: ^{1021.48}
 scimus, cum vera Dei templa simus nos ipsi, nobis
 intra nos ipsos orandum esse, si in sancto templo suo
 Deum inuocare velimus. Externam autem pæda-
 gogiam, vt inter orandum manus attollantur, genua
 submittantur, neque nos repudiamus: modo ne in il-
 lis summa Christianismi, & prora & puppis piarum
 precum collocetur: sed his cæremonijs, ceu alpha-
 betarijs rudimentis, tum ad discendam veram ani-
 mi humilitatem, tum ad excitandam seriam & ar-
 dentem eleuationem mentis ad Deum, vtamur:
 illam enim genuflexio, hanc manuum sublatio ac
 (vt Poëta canit) tensæ ad sydera palmæ significant.

I E S V I T Æ.

Docere mulieri non permitto.

IIII.

Mulier & vir sexum hoc loco, non coniugium designant: nõ
 enim nuptis tantum, sed & omnibus mulieribus, iuxta a com-
 munes Dei naturæq; leges conuenit subiectio, & silentium, ^{1. Cor. 14.}
 in cætu virorum, & docendi potestas adempta est. Deus tamen,
 qui suis legibus non tenetur, Delboram populo suo præfecit, & ^{Iud 4.}
 Huldam spiritum Prophetico decorauit: & quarundam opera in ^{2. Reg. 22.}

I iij nouo

Genes.

nono testamento, publicis in Concionibus usus est, paucarum
tamen privilegium, communes leges non infringit. Aduerte
sedulo pie Lector, diuinam hęc & naturalem ab Apostolo pro-
mulgari legem: vt hinc intelligas, in quorum numero habendi
sunt, qui procacibus mulierculis Sacerdotium tribuunt, quod
apud ipsos in concionando tantum positum est.

RESPONSIO.

1. Pet. 2.

Dicite Io pœan; & Io his dicite pœan. Nam
tandem Iesuitis aliquid verum & sanum exci-
dit. Hanc enim totam Thesin acceptamus, si illud de
muliercularum Sacerdotio sine calumnia intelligat
tur. Videntur sanè, ne vna aliqua positio non satis
virulenta sit, postremis verbis Lutheranos, quos vox
cant, velle pungere. Lutherus enim recte ex sacra-
rum literarum fundamentis, & ipsa cum primis Dis-
ciplinae sententia, docuit, in nouo testamento om-
nes Christianos esse Sacerdotes, tam mulieres quàm
viros. Per sacerdotium autem non intelligit publicum
ministerium in Ecclesia concionandi & admi-
nistrandi Sacramenta, sed illud ipsum quod Petrus
ait: Ipsi quoque veluti viui lapides aedificemini, do-
mus spiritalis, sacerdotium sanctum ad offeren-
dum spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum
Christum. Et mox: Vos autem genus electum, regale
sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum
accessit, vt virtutes prædicetis illius, qui è tenebris
vos vocauit in admirabilem suam lucem. Hoc sacere-
dotium qui mulieribus adimit, simul etiam Christia-
nissimum.

nissimum iisdem adimit: qui tribuit, non propterea ministerium Ecclesiasticum tribuit, hoc enim nusquam in nouo testamēto Sacerdotium appellatur, nec ministri Sacerdotes, sed Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, Pastores, doctores, Episcopi dicuntur, vnus Ephes. 4. autem Sacerdos Christus, qui seipsum in ara crucis obtulit. Nec quisquam apud nos dixit, Sacerdotium tantum in concionando positum esse, alioquin omnes & singuli Christiani ad concionandum essent obstricti. Quo quid esset absurdius? cum Paulus manifeste dicat: Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri diiudicent. 1. Cor. 14.

De Pepuzianis quidem scribit Augustinus, eos tantum dare mulieribus principatum, vt sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim, Quintilæ & Priscillæ in ciuitate Pepuza, Christum specie fœminæ reuelatum. Sed cum his portentosis Enthusiasticis nihil nobis est commune. Videant autem Pastores, ne ipsi denuò fœminam, & quidem meretricem, creent, non tantum sacerdotem, sed etiam sacerdotum Principem. Neque enim ipsis ignotam esse arbitror Platinae historiã de Ioanne octauo: qui tam fecundus ac benignus pater extitit, vt etiam pepererit, & nouum morem explorandi sexum masculinum in Pontificibus post se reliquerit.

*nonnulli: hystoria
graphi de Ioanne
septimo, magister
meretricis, primum
pontificis curato.*

IESVITÆ.

EXCAP. III.

Fidelis sermo, si quis Episcopatum, &c.

Sino